



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De  
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1702**

§. I. An valeat dispensatio sine causa?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

fitatis eam contraxerunt gl. in c. *Nosse defideras*. 30. q. 1.

2060. Negativam sequitur Covarr. in 4. decret. p. 2. c. 7. q. 2. n. 6. Graffis. p. 1. decis. l. 2. c. 81. n. 3. & alij; r. tamen Episcopum in dato casu posse dispensare; sic Barbosa cit. n. 9. extendens etiam ad casum, quo petere debitum prohiberentur propter supervenientem affinitatem ex illicita copula cum consanguineo alterius conjugis; quod Castropalaus d. 4. de sponsal. p. 2. q. 1. approbat. & n. 17. extendit etiam ad casum, quo quis emissio prius absoluto voto castitatis matrimonium contraxisset. Rationem sumit ex consuetudine, qua communiter utuntur in his casibus Episcopi. Eandem facultatem habent Confessarii Societatis (quibus ea à P. P. Provincialibus communicata est) & reliqui mendicantes in privilegijs communicantes cum Societate; idque ex privilegio Pij. V. ut notat Castropalaus cit. n. 19. sed adverte privilegium loqui solum de casu matrimonij contracti cum voto castitatis, & supervenientis affinitatis; non autem cognationis spiritualis; ita Sanchez l. 8. matr. d. 16. n. 9.

## §. III.

*An Episcopus jure ordinario dispense in impedimentis tantum impedientibus?*

2061. r. Episcopum omnino posse jure ordinario in illis dispensare in his, quae sunt juris tantum Ecclesiastici. sic Barbosa. cit. n. 2. idque ex consuetudine jam recepta, quae in his casibus Episcopo tribuit facultatem dispensandi quoad hos casus in lege superioris. Et. 1. circa ea, quae sunt ex delicto, constat aliunde per dicta superius illa hodie non indigere dispensatione, cum non sint amplius in usu, quod etiam dicendum venit de impedimento ex Cathismo. Igitur de reliquis quatuor, quae adhuc vigent, affirmativa Barbosa doctrina procedit, circa quam tamen limitatio facienda videtur. 1. quoad votum, ut non procedat in voto etiam simplici castitatis, & religionis, secundum quod specialiter summo Pontifici reservantur; nam in hoc non extat consuetudo; excipe tamen casum urgentis necessitatis, de quo à num. 2048. 2. quoad sponsalia de futuro, ubi non censetur Episcopus cum praesudi-

cio tertij dispensare, nisi exprimat, & causa id exigat.

## ARTICULUS III.

*De causis in genere, ob quas in impedimentis matrimonium dirimentibus dispensatio concedi possit?*

Ante resolut. not. 1. quaedam impedimenta juris tantum Ecclesiastici esse talia, ex sola Ecclesiae constitutione v. g. cognationis, affinitatis, publicae justitiae, &c. quaedam non nisi ex suppositione alterius obligationis, usui matrimonij contrarietatis, ut est votum Religionis, castitatis, caelibatus, &c. Not. 2. causam, quae sufficit, ut quis dispense in uno impedimento, non esse sufficientem indefinite pro quolibet. Nam quod major, vel minor est propinquitas, vel ratio pro uno, quam altero casu statuti legem ex ea circumstantia dirimentem; hoc etiam major, vel minor causa requiritur ad impetrandam legitimè dispensationem, ut tenet communis. Not. 3. ad impetrandam dispensationem frequenter attendi ad qualitatem personae. Nam cum Principe facilis dispensatur, quam cum nobili, vel plebeo, ut liquet ex Trid. sess. 24. c. 5. statuente, ut in secundo gradu consanguinitatis dispense solum cum magnis Principibus; idque propter speciales rationes, vel pacis, vel meritorum in Ecclesia, aut spem protectionis inter tot, qui Ecclesiam Dei insectantur.

## §. I.

*An valeat dispensatio sine causa?*

r. ut Legislator humanus valide dispense in lege propria, nullam requirit causam, nisi propriam ejus voluntatem. Nam lex constituitur voluntate Principis, & ex ea pendet, quoad vim obligandi; ergo cum Legislator voluntatem, qua subditos obligari voluit, mutat, & retractat, uti potest ex mere arbitrio, & placito, cessabit obligatio; ita Suarez l. 6. de legib. c. 19. n. 6. Salas, eod. d. 20. s. 4. num. 37. Sanchez l. 8. matr. d. 17. num. 24. & alij. quod verum est, licet ea lex confirmata sit à superiore confirmatione mere approbationis, non autoritativa. Nam illa non addit fortius vinculum actui approbato. dixi valide. Nam licet non agit, & quia sic non est dispensator prudens (quasi agit)

agere sine ratione) nec fidelis, quia sic non utitur convenienter potestate sibi concessa, ut constat ex Trid. sess. 24. c. 5. ibi: *vel nulla deur dispensatio, vel raro, idque ex causa;* & sess. 25. c. 14. iterum causa requiritur; & c. 18. ubi dicitur, *cum aliquibus dispensandum cum summa maturitate, & causa cognita, ubi urgens, iustaque ratio, majorque, quandoque expostular.* sic Pyrrhus Corradus cit. l. 1. c. 1. n. 6. & alij communiter.

2064. Suarez cit. c. 18. n. 17. & complures alij docent, *dispensare sine justa causa esse peccatum grave.* Nam hoc nihil aliud est, quam unicuique portam aperire ad transgressionem legis, ut ait Trident. cit. c. 18. quis enim non videt, sic occasionem dari, & sumi, minoris observantiae? Alij tamen (ut Sanchez cit. n. 7. Salas cit. sect. 5. n. 55. Castropalaus p. 1. tr. 3. d. 6. p. 8. q. n. 5.) venius censet, *ex genere suo esse tantum veniale, licet grave sit in casu, quo fieret sine causa cum scandalo, & eo damno à dispensante praevisto, quod non adeo frequens est; quia ex se talis actus, quo pars non conformatur toti in aliqua lege; secluso alio scandalo, & damno, res non est graviter contraria rectae rationi.*

2065. Dixi. 2. ut Legislator *humani* valide dispenset in lege sua, non requiri causam. 1. quia quaelibet dispensatio sine causa in lege naturali, vel divina invalida est; quia etiam Deus summo Pontifici pro quibusdam casibus commiserit potestatem dispensandi nomine suo, non commisit illi tamen facultatem eam utendi *ex libitu*, sed iusta causa intercedente, ut agat tanquam dispensator prudens, & fidelis in iure eius, cuius ei curam dedit. sic D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 12. Gloss. in c. *Non est, V. adimplere, de voto.* & alij plurimi. Idem est de dispensatione inferioris in lege superioris, ut docet Sanchez cit. d. 17. n. 4. cum plurimis ibid. relatis. Nullus enim superior censetur inferiori concedere potestatem relaxandi legem à se mature conditam, nisi occurrat causa rationalis, & sufficiens, ne potestas commissa irrationabiliter usurpetur. Et hoc procedit, esto inferiori committeretur facultas dispensandi cum plenitudine potestatis. Nam esto superior humanus id absolute possit, ut tenet Salas cit. d. 40. sect. 4. n. 32. non est tamen unquam praesumendum; ita

Sanchez cit. d. 17. n. 5. quia semper praesumi debet de superiore tali, quod commissionem suae potestatis faciat, pro casu rationabili, & in adificationem.

Nec juvat dicere, quod etiam Legislatori humano sic à Deo concessum sit, ut potestate condendi, ac relaxandi utatur solum ex causa rationabili; responderet enim, id verum esse, quando agitur de potestate homini à Deo commissa, *ut Dei nomine dispenset in lege Dei;* non autem, *ut homo suo nomine dispenset in lege humana.* Nam ex abusu potestatis, quem facit homo, sicut ex alijs malis, divinus superior, qui ejusmodi mala permittit, permissione conducente etiam in hominis praedestinationem, elicere potest bona maxima; non humanus.

## §. II.

*An peccet utens dispensatione concessa sine causa?*

2067. Utentem dispensatione, quam Legislator etiam sine causa, *valide*, quamvis illicite concessit in lege sua, non peccare, etiam venialiter; sic Castropalaus cit. q. 1. n. 8. cum Suarez cit. l. 6. c. 19. n. 14. & alijs. Nam lex illa positiva (in qua valide dispensatum est) non extat amplius; ergo contra illam non peccat; sed nec peccat contra aliam legem, se non conformando alijs non dispensatis; nam dispensatio valida illum ab hoc eximit: nec etiam peccat *utendo* dispensatione valide concessa; nam usus rei, sublata legis prohibitione, non est illicitus; etsi peccet, petendo fieri dispensationem sine causa.

2068. Et quamvis superior secum sine causa dispensando in lege sua, etiam utendo dispensatione, peccet; id tamen est ex ratione, quae non afficit subditum utentem dispensatione sibi valide concessa. Hic enim non tenetur dispensationem, & imprudenter, & non fideliter à Legislatore factam revocare; cum ei non incumbat cura gubernandi communitatem per leges, quas condendi, & conservandi potestate gaudeat; secus, superior.

2069. Illud adhuc not. quod juxta Pyrrhum Corradum l. 1. num. 7. causa dispensandi nunquam subintelligatur, nisi exprimat; & eam non expressam dispensationem reddi nullam; & sic dispensatum non fore tutum *quoad Deum*, imò peccatum toties,